

« iteratam notitiam, ut imponat pœnitentiam condignam. » *Suarez, D. 22, sect. 6, in fine.*

Sic autem *Lugo* : « Si prior confessio facta fuit Sacerdoti judici, atque « adeo ex se fuit sacramentalis, et Sacerdos pœnitentiam imposuit; « postea, licet oblitus sit status pœnitentis, et nesciat qualem pœniten- « tiam imposuerit, sed recordatur pœnitentem fuisse dispositum ad abso- « lutionem, et pœnitentiam accepisse, poterit postea Sacerdos sine alia « notitia absolvere. » *Lugo, de Pœn. disp. 16, sect. 15, n. 636.*

679. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Male fecit Guido, remittendo ad finem confes- sionis omnes faciendas interrogationes, præscribendaque onera seu re- media, ob periculum oblivionis. Quivis alius ita agendo imprudens foret; quanto magis Guido, qui memoriæ infelicis probe se novit esse?

## CASUS V.

## METHODI

*Ad memoriam Confessarii adjuvandam.*

NICOLINUS, Missionarius, in media pœnitentium turba die noctuque, de conscientia fidelium qui apud se jam confessionem inchoarunt ne *in confuso* quidem recordari potest. Cum autem abhorreat a methodo sociorum, pœnitentibus tradentium quasdam schedulas secretis signis refertas, quibus memoria peccatorum accusatorum revocetur, jubet confessionis factæ repetitionem. At de gravi injustitia et imprudentia accusatur ab aliis Confessariis, quos ipse vicissim de singularitate apud Theologos inaudita redarguit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam media adhiberi possint ad memoriam Confessarii, et præsertim Missionarii, juvandam?*

2<sup>o</sup> *Quid de præfatis methodis judicandum?*

3<sup>o</sup> *Quid speciatim de praxi NICOLINI?*

SOLUTIO :

680. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Media illa ad triplicem classem revocari possunt, scilicet ad methodum *interrogationum*, vel *pœnitentiarum*, aut *schedularum*.

1<sup>o</sup> *Methodus interrogationum.* Sic Confessarius procedere potest : primo inquirat a pœnitente, qui alio tempore jam confessionem inchoavit, a quo tempore absolutus fuerit? Si respondeat : *a duobus, vel pluribus annis*, jam statim deprehenditur qualis generis sit ille, seu homo de salute valde incuriosus, pluribus peccatis mortalibus inquinatus ob omissionem confessionis annuæ et Communionis paschalis. Interroget etiam an inchoata tantum, aut ad finem deducta fuerit confessio, et utrum ipsi aliquid particulare injunctum, vel quid statutum fuerit? Sæpe hæc pauca sufficiunt, ut memoria saltem confusa pœnitentis resumatur. Quod si hoc non

sufficiat, instet dicendo : « Non bene tui recordor; vellesne dicere quid- quid præcipuum erat in tua confessione? An pravas habueris cogitationes..., etc. » Juvabit autem plurimum, prima vice qua accedunt pœniten- tes, si Confessarius eos instruat de modo se manifestandi quando ad perficiendam confessionem redibunt; v. g. : *Mihi in mentem revocabis hoc, vel illud...*, puta *circumstantiam singularem*, vel *professionem*, etc.

681. — 2<sup>o</sup> *Methodus pœnitentiarum.* Confessarius admoneat sedulo pœnitentem, ut attente audiat retineatque pœnitentiam ipsi injungendam, et diligenter adimpleat; insuper plerumque addat se interrogaturum illum redeuntem utrum eam adimpleverit; postea imponat pœnitentias speciales, quantumvis leves, sed varias pro variis pœnitentium statibus, seu pro variis peccatorum generibus, ita ut, de pœnitentia recordando, statum pœnitentis, *saltem in confuso*, recognoscat. Sæpe juvabit imponere pœniten- tias quasdam medicinales, ex quarum natura peccatorum memoria in mentem sponte sua redeat, v. g. actus fidei pro peccatis contra Fidem; actus caritatis pro peccatis odii vel vindictæ, vel etiam aliquam orationem fundendam pro inimicis; modicam eleemosynam pro variis injustitiis; invocationem B. Virginis Immaculatæ pro peccatis contra castitatem, etc. Si tamen pœnitens multiplici vitio inquinatus sit, pro uno tantum aut pro altero imponenda esset memorialis pœnitentia; secus enim pœnitens omnia opera injuncta facile oblivisceretur. Quod si, non obstante omni cura Confessarii, pœnitens injunctæ pœnitentiæ fuerit oblitus, ad interrogatio- nes prudenter recurrendum erit. *Meth. Vesuntina, c. 7, art. 1.*

682. — 3<sup>o</sup> *Methodus schedularum.* Confessarius præparet libellum in cujus foliorum margine tot numeros ponet, quot ipsi occurrere possunt pœnitentes in decursu Missionis, totque schedulas aliquo numero signatas aut signandas in libello reponat. Dum vero audit primum pœnitentem, adnotet in libello juxta numerum primum, signis sibi notis, cujusque statum, et finita confessione, schedulam ipsi tradat, eundem numerum primum referentem et ab ipso redeunte reddendum; quare, ex collato numero, qualis sit pœnitens uno ictu oculi facile patebit. Secundo autem confitenti secundum tradet numerum, et idem cum aliis occurrentibus præstabit.

683. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Seu, quid de variis methodis judicandum? Suadenda est præ aliis *methodus pœnitentiarum*; minoribus enim incom- modis obnoxia est quam cæteræ, præsertim tertia. Verum aliquando evenit ut pœnitentes injunctæ pœnitentiæ obliviscantur, sed non adeo frequenter evenit, si Confessarius sollicitus sit eam menti pœnitentis bene inculcare; et insuper, deficiente memoria pœnitentiæ, facile ad interrogationem Con- fessarius recurrere potest.

Minime autem suadenda *methodus schedularum*, quæ maximis scatet incommodis; sæpe enim amittuntur schedulæ, et frequentius ex inadvertentia commutantur, v. g. si schedulæ matris et filiæ in eodem libro pre- cum reponantur, et tunc error est gravissimus, et violationem sigilli sa- cramentalis inducere potest, puta si Confessarius indebite juxta numerum erroneum interroget. Insuper quantum videtur incommodum, quod Con- fessarius sæpe lumen accensum juxta se habere debeat, ad signa in libello exaranda, vel relegenda!



684. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* NICOLINUS nedum deficiat, superabundat; onus enim gravius pœnitentibus imponit ab ipsis exigendo repetitionem totius confessionis; nam hoc minime est necessarium, ut ex dictis satis constat, cum sufficiat ad summum si cognitio aliqua valde confusa status pœnitentis habeatur ad impertiendam absolutionem.

## CASUS VI.

OCCASIO PECCATI 1<sup>o</sup>.

HOMOBONUS, Confessarius, absque difficultate sequentes pœnitentes absolvit, scilicet: 1<sup>o</sup> peregrinum, qui concubinam domi adhuc habet; 2<sup>o</sup> mercatorem, qui pergit semel in anno ad nundinas Bellicadri (*Beaucaire*), et toties ibi cum eadem muliere peccat; 3<sup>o</sup> mulierem, quæ, etsi ab uno anno cessaverit a consuetudine peccandi, videt tamen interdum amasium honeste, cum ipso litteris honestis communicat, ejusque effigiem servat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An absolvi possit ille qui in occasione proxima versatur, antequam eam deserat?*

2<sup>o</sup> *Quid agendum cum iis qui in occasione proxima quidem, sed necessaria versantur?*

3<sup>o</sup> *Quid de HOMOBONO in singulis casibus?*

SOLUTIO :

685. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> *Neg. per se*, si agatur de occasione *in præ-senti* seu *in esse*, quia nimium urget periculum propositum infringendi. Excipe: 1<sup>o</sup> si pœnitens afferat signa extraordinaria; tunc enim potest absolvi, quia propter hujusmodi signa Confessarius prudenter judicare potest non adesse in pœnitente periculum illud infringendi propositum: signa enim illa indicant pœnitentem uberius recepisse gratiam, qua magis constanter se geret in occasione removenda. *S. Lig. n. 454.* Excipe: 2<sup>o</sup> si pœnitens reverti non posset nisi cum maxima difficultate, vel si alia necessitas moralis urgeret. *S. Lig. n. 454, ibid.*

*Affirm.* autem *per se*, si agatur de occasione *necessaria* quidem, sed non *in esse*; tunc enim pœnitens absolvi potest per duas aut tres vices, si firmiter proponat ab occasione cavere, quia minus est relapsus periculum. Quod si postea emendatio non appareat, absolutio differenda est. *Ita S. Lig. n. 454. — V. Comp. n. 630.*

686. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Possunt absolvi, saltem prima vice et etiam pluries, si firmiter proponant facere occasionem ex proxima remotam, adhibendo media a Confessario præscripta, licet adhuc melius sit eis absolutionem differre. Si vero eodem modo postea labantur in peccatum, absolutionem privandi sunt, nisi signa doloris extraordinaria afferant, ut supra dictum est. *S. Lig. n. 456. — V. Comp. n. 630.*

687. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* HOMOBONUS, Confessarius, *in primo casu* potest et debet absolvere peregrinum firmiter promittentem se concubinam eiec-

turum esse statim ac in patriam redux erit, nisi non adeo longe distet, et alias sat facile reverti queat.

*In secundo casu*, absolvere potest aliquoties, si pœnitens promittat ab occasione cavere. Si postea eodem modo semper peccet, differenda erit absolutio donec signa doloris extraordinaria dederit. Non desunt Theologi qui docent tamen pœnitentem nunquam esse absolvendum, nisi, recurrente occasione, firmitatem propositi experimento temporis probaverit. Sed hæc doctrina ut omnino durior habenda est. Pœnitentes enim dimissi ad annum ut experimentum propositi facerent, facillime a Sacramento arcerentur (1).

*In tertio casu* absolvere *per se* non potest, nisi prius a muliere firmum obtineat propositum non amplius cum amasio conveniendi, neque litteris, licet honestis, cum eo communicandi, atque ejus effigiem dilacerandi, vel saltem non amplius servandi. Ratio est, quia hæc omnia amorem humanum fovent, et facile antiqua pericula salutis renovant. Attamen occurrere possunt rationes cum tali pœnitente mitius agendi; igitur ad varias circumstantias attendendum est.

## CASUS VII.

OCCASIO PECCATI 2<sup>o</sup>.

JULIANA, puella, cum CAIO patris sui famulo, familiæ necessario, sæpius peccavit. Confitetur cum signis indubiis contritionis, et semel, iterum, iterumque absolvitur. Relabitur tamen: at quantocius ad Confessarii pedes provoluta, cum lacrymis peccatum confitetur. Dubius hæret Confessarius, sed misericordia motus, etiam hac quarta vice et pluribus aliis JULIANAM absolvit.

HINC :

QUÆR. *An JULIANA pluries absolvi potuerit, aspectis iis quæ in casu declarantur?*

SOLUTIO :

688. — *R. ad Quæ.* Stante occasione *necessaria*, et signis indubiis contritionis, potuit JULIANA semel vel iterum et forte iterum absolvi. Sed juxta *S. Lig.* non potuit ulterius absolvi, nisi signa doloris extraordinaria dederit; imo etiam tunc melius absolutio ei fuit differenda. Etenim *S. Auctor, n. 454 et 456*, sic loquitur: « Casu quo pœnitens jam admonitus media præscripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte signa *extraordinaria* exhibeat. Et etiam huic, extraordinaria compunctione donato, *ordinarie loquendo*, absolutionem denegarem quando commode abso-

(1) « Que faire à l'égard d'un pénitent qui se trouve dans une occasion prochaine et volontaire, mais une occasion qui ne se présente que rarement, par ex. une fois par an? S'il paraît disposé à renoncer entièrement à cette occasion, on peut l'absoudre une première et une seconde fois, comme l'enseigne *S. Charles*, et même une troisième, au jugement de *S. Ligori*. Si après cela il ne s'est ni corrigé, ni éloigné de l'occasion, on lui différera l'absolution jusqu'à ce qu'il donne des signes extraordinaires de contrition. » *Gousset, n. 565.*



« lutio posset differri. Fortasse alicui hoc tradens nimis rigidus videbor; « sed ego cum pœnitentes hujusmodi occasionum laqueis irretitos offendi, sic semper egi et semper agam : hac enim via incedens non me « rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto; quandoquidem « nullus isto aptior modus mihi videtur ut ipsi a peccatis et a damnatione « æterna eripiantur, et e contrario crederem quod, si benigne agendo « absolutionem eis præstarem, causa essem ut misere in vitiis tabescerent. Quisque in sensu suo abundet. »

689. — Et n. 457 sic iterum ait S. Doctor : « Verior sententia est eum « (qui versatur in occasione *necessaria* et semper, etiam adhibitis remediis, eodem modo relabitur) non posse absolvi nisi occasionem deserat « cum jactura adhuc vitæ, si opus sit, quando nulla emendatio nec probabilis spes emendationis apparet : ratio est, quia homo tenetur cum omni « jactura vitæ vitare periculum proximum peccati formalis; hic enim « currit illud *Marci*, 9. 46 : *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum.* »

690. — Attamen S. *Lig.* non damnat eos qui non agunt cum tanto rigore erga pœnitentes in occasione *necessaria* vel *quasi necessaria* versantes, et paratos interim uti mediis præscriptis. Sic enim varias refert sententias, n. 455 : « An possit quis manere in occasione proxima, si « aliter deberet pati notabile detrimentum temporale in vita, fama aut « fortunis?... *Communiter affirmant* Doctores non teneri pœnitentem « occasionem dimittere, si aliter grave damnum temporale passurus sit, « dummodo interim sit paratus uti mediis præscriptis... Ratio est, quia « occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem « peccandi; quapropter bene potest cum ea consistere vera detestatio « peccatorum et firmum propositum non relabendi, ac adhibendi debita « remedia. Et quamvis præceptum vitandi occasionem proximam *per se* « obliget ad non permanendum in occasione, tamen illud intelligendum « obligare cum quis voluntarie in occasione persistit, non vero *si maneat ex necessitate*; moraliter autem hæc necessitas intervenit, quando « sine magno detrimento seu incommodo nequit occasio dimitti : etenim « tunc periculum formale et proximum, opportunis adhibitis mediis ad « non relabendum, fit materiale et remotum; non enim qui est in periculo, *sed qui amat periculum, in illo peribit.* *Eccli.* 3. 27. »

691. — « Hinc dicunt *Sporer, Busemb.* cum *communi*, quod ii qui ab « officio, negotiatione aut domo in qua peccant, discedere nolunt, quia « sine magna difficultate non possunt, absolvendi sunt, si sint parati « remedia adhibere....

« Hæ sententiæ probabilissimæ sunt; verum in praxi omnes conveniunt « expedire ut iis qui versantur in occasione proxima, etiam necessaria, « differatur absolutio. »

## CASUS VIII.

## OCCASIO PECCATI 3°.

1° LAMPRIDIUS semel vel iterum cum ancilla sua peccavit, confitetur post tres menses, affirmans se toto corde dolere et media idonea ad relapsum

vitandum esse adhibiturum; sed ancillam sibi perutilem ejicere non posse. His omnibus perpensis, eum absolvit Confessarius. Sed cum, uno vel altero anno abhinc elapso, fama peccati divulgata fuisset, LAMPRIDIUS noster absolutionem tempore Paschali obtinere nequit nisi prius ancillam ejecerit, etsi minime cum illa a duobus vel tribus annis peccaverit.

2° RADULPHUS, Sacerdos, mordicus recusat dimittere ancillam, quacum plus æquo familiariter se gessit pluries, vel etiam sæpius : 1° quia jam serpens rei rumor sic confirmaretur; 2° quia forte cum alia ancilla majus periculum subiturus esset; 3° quia cum nuperrime exercitiis spiritualibus vacaverit, id jubente Confessario fieri dictitarent.

HINC :

QUÆR. 1° An LAMPRIDIUS prima vice absolvi potuerit, et secunda vice recte sine absolutione dimissus fuerit?

2° An valeant rationes a RADULPHO expositæ?

SOLUTIO :

692. — R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. LAMPRIDIUS prima vice absolute potuit absolvi, quin statim ancillam dimitteret, aspectis casus circumstantiis; seu experimentum aliquod temporis permitti potuit : sed, revelato peccato, debuit absolutione privari, nisi ancillam reapse dimiserit, propter scandalum rationem, quæ maxime urget. Excipe, nisi talis sit utriusque conversio, et adeo communiter perspicua, ut jam nulla suspicio de pravo inter eos consortio apud vulgus subsistat.

693. — R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Non valet prima ratio RADULPHI, si rumor publicus sit valde gravis, quia subsistit scandalum, quod tolli nequit donec ancillam retinuerit. Illam autem dimittendo, nedum famæ detrimentum patiatur, eam proprie recuperat.

Neque valet secunda ratio, quia multo facilius erit præcavere a nimia familiaritate cum alia famula, quacum liberius nunquam egit. Insuper satagat, in quantum fieri potest, ut seligat ancillam annosam, minus decoram, indole gravem et piam, et multo minus periculum experietur; ad orationem quoque frequenter recurrat.

Tertia autem ratio valere potest ad tempus, seclusa suspicione gravi ex parte populi, sed RADULPHUS statuere debet famulam dimittere quamprimum potuerit, quin famæ detrimentum subeat.

## CASUS IX.

## OCCASIO PECCATI 4°.

1° LUDIMILLA a decem annis ULDERICO cælibi, dubiæ famæ viro, et a Sacramentis recipiendis alieno, famulatur. Existimatio autem communis est, eos in concubinato versari. Accedit LUDIMILLA ad Missionarium in hoc loco exercitia spiritualia tradentem. Negat vero se cum hero pravum habere consortium, postulatque ut ad Sacramenta admittatur. Parochus,



qui eam confitentem animadvertit, dicit eam non esse admittendam. Quid igitur agat Missionarius? Ipse LUDIMILLAM absolvit, eique communionem permittit.

2° OLYMPIA, puella, BALDUINO nubere intendens, quamvis animadvertat sui præsentiam et collocationem ei occasionem præbere plurium peccatorum internorum, recusat tamen se ejus oculis subtrahere, quia timet ne recedendo hanc nubendi occasionem amittat.

HINC :

QUÆR. 1° An LUDIMILLA potuerit absolvi et ad Communionem admitti, quin ULDERICUM deseruerit?

2° An permitti possit juvenibus diversi sexus ut soli se invitant matrimonii causa vel prætextu?

3° An excusanda sit OLYMPIA? et quid, si ipsa, idem periculum subiret?

4° An eadem de causa OLYMPIA excusanda foret, si oscula quædam pateretur?

SOLUTIO :

694. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Solutio hujus casus non caret difficultate, præsertim in speculatione, sepositis scilicet variis rerum adjunctis. Sane scandalum ante omnia præcavendum est. Verum sedulo indagandum est num alio modo tolli nequeat, v. g. si ancilla herum induceret ut piis exercitiis assidue interveniret. Non semper enim ad rumorem publicum attendere debemus, quando infamia gratis creata est. Aliquando enim malum pejus inde sequeretur, quam ex illius contemptu; quia, si temporalia dimittenda essent propter eos qui scandala concitant, hoc bono communi noceret. Sic S. Thomas, 2. 2. q. 43, art. 8.

695. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Negat omnino S. Lig. n. 452, ob proximum peccandi periculum, quod in talibus circumstantiis et conversationibus invenitur. Hinc ait: *Vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsæ accedere, aut sponsæ aut parentibus illum accipere.* Sed paulo severior videtur ista decisio, præsertim si contracturi matrimonium, solum coram parentibus, vel amicis, se invisant; quod tamen est enixe commendandum, quantum fieri potest: occasio enim illa *simpliciter necessaria* dicenda est, modo non plus æquo protrahatur, et cautiones a Confessario præscriptæ adhibeantur.

696. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. OLYMPIA per se excusari potest, modo sui præsentiam et collocationem etiam modestam non inutiliter multiplicet. Ratio est, quia justam habet causam licito modo fovendi amicitiam BALDUINI, etiamsi ille ex infirmitate aut malitia sua tali occasione abutatur. Hoc præsertim dicendum est, si OLYMPIA aliam occasionem æque propitiam nubendi non speret. Tenetur tamen ex caritate ad imminuendam occasionem ruinæ spiritualis a BALDUINO acceptam, in quantum fieri potest, quin sponsi animum a se avertat, nempe eum quam rarius ad secum colloquendum admittendo, et cum eo modestius conversando, etc.

Neque inquietanda erit OLYMPIA, licet etiam ipsa pravas cogitationes in

mente sua exoriri animadvertat, modo diligenter ab eis dissentiat; sed tunc major urgeret adhuc ratio caute sponsum admittendi.

697. — R. ad 4<sup>m</sup> Quæ. OLYMPIA excusari nequit a cooperatione graviter illicita, si patiat oscula animo libidinoso a sponso facta. Ratio est, quia, licet puella absque malo fine et intra terminos honestatis agat, hæc tamen admittendo, facile periculo consentiendi in pravum desiderium et delectationem se exponit, et præsertim sine causa sufficiente peccatis certis sponsi cooperatur. Etenim rationabiliter timere non potest sponsum a se recessurum, ex eo quod præfatas familiaritates ipsi modeste negaverit. Roget igitur BALDUINUM ut velit sibi parcere et ab omni gestu periculoso abstinere, ne forte connubium careat cœlesti benedictione et pravum sortiatur exitum. *Elbel, de peccatis, n. 585.*

## CASUS X.

### OCCASIO PECCATI 5°.

1° BERTA, ancilla, cum CAIO hero identidem peccat. Urget Confessarius separationem. Obtemperare recusat famula: 1° quia herus emendationem adpromittit; quia a pluribus annis herus stipendium annuum ipsi non persolvit, nec est persolurus, si discedat. Absolvit Confessarius. Sed ecce, post sex menses redit BERTA cum relapsu pluries iterato, eadem afferens rationes ut a relinquenda occasione excusetur, et adhuc a Confessario absolvitur.

3° PASCASIUS, juvenis, solet sæpe in vicinam donum se conferre, et ibi moras bene longas protrahere cum puellis et feminis facie decoris, genio et indole gratis, necnon lepido hilarique sermone venustis, conversando, licet frequentes tentationes contra castitatem, motusque graviter inordinatos, et interdum ipsam pollutionem experiatur. Confessario autem præcipienti ut ab istis consortiis frequentandis abstineat, abnuit obtemperare PASCASIUS, quia tentationibus non assentit, saltem plerumque, et quia sua et altera familia fœdere amicitiae sunt conjunctissimæ. Quare nescit Confessarius an eum absolvere possit.

HINC :

QUÆR. 1° An valeant excusationes BERTÆ in primo casu?

2° Quid, si, facto temporis experimento, CAIUS et BERTA emendati fuerint?

3° An vero famula, ab hero vivide sollicitata, teneatur eum derelinquere, si facile possit, etiamsi ipsa non consentiat?

4° Quid Confessarius facere debeat in secundo casu?

SOLUTIO :

698. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. Per se non sufficiunt rationes a BERTA allatæ. Etenim non valet *prima ratio*, quia herus emendationem fingere potest, et, licet eam serio promittat, nihilominus occasio præsens maximum pec-



candi periculum semper inducit. Neque valet *secunda ratio*, quia emolumentum temporale non videtur tantum, ut maximum animæ periculum compensare possit. Confessarius igitur urgere debuit BERTAM ad occasionem peccati derelinquendam, sub denegatione absolutionis, præsertim cum agatur de occasione *in esse*, saltem generatim loquendo. Attendendum etiam est ad quantitatem relativam damni quod BERTA subire debet. Etenim si valde pauper sit, et stipendium notabile ipsi debeatur, v. g. multorum annorum, Confessarius sententiam suam temperare poterit. *Recole dicta supra, n. 691-692.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Non facile de perfecta emendatione fides adhibenda est, præsertim post productam diu peccandi consuetudinem. 2<sup>o</sup> Etiam si de perfecta emendatione constaret, ordinarie neque permittendum foret ut in eodem contubernio permanerent. Ratio est, quia, ubi prava frequentatio præcessit, mira datur peccandi facilitas, et, præsertim occasione, ingens relapsus periculum instat.

699. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Affirm. per se.* Ratio est, quia tunc adest occasio proxima pro illa famula. Etenim ille qui libere commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter superare tentationem nisi auxiliis gratiæ extraordinariæ, quæ ab ea sine temeritate sperari nequeunt: hoc autem præcipue, si præfata mulier sit fragilis, parum devota, raro accedens ad Sacramenta, præsertim si junior sit et forma speciosa. *Ita S. Lig. et alii communiter.*

Dixi *per se*, quia non est obliganda ad exeundum statim e domo famula jam ætate provecta, valde pietati dedita a peccato abhorrens, et quæ videtur paratissima ad media opportuna adhibenda ut tentationes repellat. *S. Lig. ibid.* Idem etiam dicendum est pro casu in quo ancilla exire non posset, nisi ut in æquale periculum et forte in majus incideret.

700. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Confessarius PASCASIUM absolvere nequit, nisi ab istis consortiis, saltem ex magna aut maxima parte, serio abstinere velit. Ratio est, quia PASCASIUS se exponit sæpe et sine causa sufficiente periculo deordinationis valde gravis contra legem naturalem. Licet enim communiter tentationibus non consentiat, nihilominus ponit causam proximam motuum graviter deordinatorum et etiam pollutionis, quod a peccato mortali excusari nequit. Præterea, quamvis hucusque pravis tentationibus non consenserit, vel raro iis adhæserit, periculo postea consentiendi exponitur: *qui enim amat periculum, in illo peribit. Eccli. 3. 27.* Neque PASCASIUS excusari potest ratione necessitudinis, seu amicitiae specialis, qua ejus familia cum familia vicina conjungitur; hæc enim necessitudo non exigit ut tam frequenter mulieres adeat, neque ut tanto tempore cum iis commoretur. Non est tamen prohibendus ne interdum eas visitet, præsertim in cognatorum societate. Itaque Confessarius PASCASIO proponat has Spiritus Sancti sententias: *In medio mulierum noli commorari Eccli. 42. 12. — Cum aliena muliere ne sedeas. Eccli. 9. 12. — Subjungat quoque illud Poetæ, lepidis hisce versiculis expressum:*

*Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?  
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.*

## CASUS XI.

## DE CONSUEUDINARIIS.

1<sup>o</sup> MAURITIUS, Confessarius, benignitatis fama notissimus semper quoscumque prava consuetudine irretitos absolvit, licet a longo tempore in cæno vitii tabescant, dummodo de peccatis dolere videantur, et emendationem promittant. Innititur præsertim in hac regula in *Catech. Rom.* tradita: *Si, audita confessione, judicaverit (Sacerdos) neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem OMNINO DEFUISSE, ABSOLVERE POTEST. (De Sacram. Pœnit. n. 82).* Hinc facile absolvit prima vice sequentes pœnitentes: 1<sup>o</sup> NIGRITIUM, juvenem a decem annis in mediis impudiciis immersum, et occasione mortis concubinæ ad meliorem frugem conversum; 2<sup>o</sup> GAUDENTIUM, bibulum, senem a quadraginta annis non confessum, et occasione Jubilæi ad tribunal Pœnitentiæ accedentem; 3<sup>o</sup> JUCUNDAM puellam die sequenti nupturam, et a sex mensibus in prava peccandi consuetudine cum sponso versantem.

2<sup>o</sup> THYRSUS autem, diversis prorsus addictus principiis, nunquam consuetudinarios absolvit, quin eos ter aut quater in confessione audierit, et per tres aut quatuor aut etiam sex menses eorum emendationis experimentum fecerit; quia, ait, licet hujusmodi pœnitentes dispositi appareant, non constat tamen eos non esse relapsuros; hoc autem solo temporis experimento probari potest.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An consuetudinarius prima vice absolvi possit? vel utrum experimentum temporis requiratur?*

2<sup>o</sup> *An expediat, ut statim absolvatur? et an absolutio differri possit, si de ejus dispositione constet?*

3<sup>o</sup> *Quid de agendi ratione utriusque Confessarii?*

SOLUTIO:

701. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Consuetudinarius quilibet semper prima vice absolvi potest, etsi nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat, et vera signa pœnitentiæ, licet *ordinaria* tantum, ostendat. Nec proinde temporis experimentum ad propositum ejus probandum requiritur. *S. Lig. n. 459-462. — V. Comp. n. 623-632 et seq.*

702. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Differri potest absolutio *per se* ad breve tempus, licet pœnitens consuetudinarius videatur sufficienter dispositus, scilicet ut melius adhuc disponatur. Pœnitens enim, quamvis jus habeat ad absolutionem, non habet jus ut statim absolvatur; quia ad Confessarium, ut medicum, spectat judicare pro meliori bono pœnitentis quid sit magis opportunum. *S. Lig. n. 454.* Utrum autem expediat absolutionem differre pœnitenti, etiam consuetudinario sufficienter disposito, hoc pendet a variis circumstantiis, et quam maxime attendendum est ad id quod ma-